

*Stephanum*, qui in concilio Judæorum sermonem habens, *plenus Spiritu S. intentis in cælum oculis vidit*, & testatus est, se videre gloriam Dei, cælos apertos, & *Jesum stantem a Dextris Dei*; *Act. VII. v. 55. 56.* tamen ne hunc quidem ostendi potest vidisse ipsam essentiam divinam immediate ante finem hujus vitæ. Fuit sane & is prægustus vitæ æternæ: at visio ipsa beatifica non fuit. *Cælos apertos vidit*; vidit *gloriam Dei*, seu fulgorem quendam, quo Dei majestas repræsentabatur: prout gloria Dei accipitur *Exod. XXIV, 17. Cap. XXXIII, 18. 22. Ezech. 11, 1. Luc. II, 9.* Vidit *Jesum* (quem Judæi crucifixerant; ipse Messiam esse, confessus fuerat, ideoque mortem subiturus erat;) in corpore immortali, formaque augusta apparentem. Potuerunt autem hæc videri & visa sunt per illuminationem supernaturalem; ut tamen non videretur sine omni signo aut verbo interno atque externo ipsa essentia divina.

XLVIII. *Patres* quod attinet, miramur nuda nomina sine certis illorum verbis ac sententiis a Keitho jactari. Neque nobis conjectando assequi licet, quæ is in scriptis illorum repererit: genuinane? an spuria? integra? an interpolata? allaturus sit: nedum an veram Doctorum mentem sit affectus? Interim, ne quid dissimulemus, quod ad rem præsentem pertinet, ex *Græcis*, *Clementem Alexandrinum* quidem novimus in Schola Platonis educatum fuisse. Inde fortassis factum est, ut quemadmodum Plato, sic ille, videretur perfectam Dei cognitionem per essentiam, in via illa unitiva, tanquam in hac vita impetrabilem, asserere. Sed Lectorem, veritatis studiosum accuratius attendere oportet, quid? cui? cuius temporis respectu tribuatur? Nam & de *Platone* ipso rem non adeo liquidam esse deprehendimus. De *Origine*, *Clementis* discipulo, idem quod de isto habemus dicere, cuius dogmatum cum Philosophia Platonica comparisonem peculiari scripto exhibuit *Paganinus Gaudentius*. Ipsum vero non unus erroris arguerunt sequentes Ecclesiæ Doctores, alii acrius alii paulo moderatius. Sed *Atbanasium* & *Gregorium Nazianzenum* multo minus, quam præcedentes, ejus sententiæ suspectos

ctos